

dignaremur. Nos igitur ipsarum Agnexinæ de
 Trottis, & Agnexinæ Rapæ, nec non Florinæ
 hujusmodi pium propositum plurimum in Domino
 commendantes, eisque super his salubriter, prout
 juxta pastoralis officii debitum tenemur, providere
 cupientes, fraternitati tuæ per Apostolica scripta
 mandamus, quatenus si est ita, super quo conscien-
 tiam tuam oneramus, easdem Agnexinam de Trot-
 tis, & Agnexinam Rapam, necnon Florinam,
 & alias monasterii S. Martini moniales, si quæ
 sint, & id facere voluerint de eodem S. Martini
 ad præfatum monasterium S. Mariæ auctoritate
 nostra transferas, & in eo recipi facias in monia-
 les, & sorores, eisque regulam, habitum juxta
 ipsius monasterii S. Mariæ consuetudinem, sicut
 aliis ejusdem monasterii S. Mariæ monialibus in-
 tegre provideri, ac illas inibi sincera in Domino
 caritate tractari, eisque nihilominus, postquam ut
 præmittitur receptæ fuerint, curam, regimen, &
 gubernationem ipsius monasterii, quoad vixerint
 eadem auctoritate committas, eisque concedas,
 quod omnibus immunitatibus, indulgentiis, liber-
 tatibus, & privilegiis, quibus ceteræ moniales
 dicti ordinis S. Claræ, quomodolibet potiuntur
 in dicto monasterio S. Mariæ uti, & gaudere
 libere, & licite valeant, & insuper omnia, &
 singula bona, fructus redditus, & proventus, ac
 jura ad dictum monasterium S. Martini, quæ per
 valores, qualitates, situs, confines, & vocabula
 haberi volumus præsentibus pro expressis perti-
 nentia, ut præfertur eidem monasterio S. Mariæ
 eadem auctoritate dare, & appropriare procures.
 Contradictores per censuram Ecclesiasticam appella-
 tione postposita compescendo, non obstantibus
 quibuscumque statutis, & consuetudinibus mona-
 steriorum, & ordinis prædictorum contrariis, jura-
 mento, confirmatione Apostolica, vel quacumque
 firmitate alia roboratis, aut si pro aliis in dicto
 monasterio S. Mariæ scripta forsan Apostolica
 sint directa, seu si præfatis monialibus a sede
 Apostolica sit indultum, quod interdicti, suspen-
 di, vel excommunicari non possint per litteras
 Apostolicas non facientes plenam, & expressam,
 ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi
 mentionem, qualibet alia dictæ sedis indulgentia
 generali, vel speciali cujuscumque tenoris existat,
 per quod præsentibus non expressam, vel totali-
 ter non insertam effectus earum impediri valeat
 quomodolibet, vel differri, & de qua cujusque
 toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio
 specialis. Volumus autem, quod præterea locus,
 in quo dictum monasterium sit, disruptum fuerat
 in profanos usus nullatenus convertatur. Datum
 Romæ apud S. Petrum nonis februarii pontifica-
 tus nostri anno undecimo. Cumque etiam præ-
 fatus Rev. in Christo Pater, & Dominus Dominus
 Episcopus Papiensis prædictorum executor per præ-
 fatas superius litteras Apostolicas prædicta in præ-
 fatis litteris Apostolicis fienda, & executioni man-
 danda commiserit venerabili religioso viro D. F.
 Stephano de Bestagnis ordinis Minorum B. Francis-
 ci de Alexandria, ut de dicta commissione patet
 per publicum instrumentum traditum, & subscrip-

tum manu Francisci de Bimio Mediolanensis diœ-
 cesis Apostolica, & Imperiali auctoritate Nota-
 rii, præfatique Domini Episcopi, & executoris Can-
 zelarii, anno Domini MCCCCL., die VIII. mensis
 decembris, XIII. decembris, secundum stylum civi-
 tatis Mediolani. Ecce quod dictus Ven. religiosus
 vir frater Stephanus de Bestagnis ordinis Minorum
 de Alexandria, commissarius executor prædictus,
 & in monasterio prædicto S. Mariæ præsentialiter con-
 stitutus, & ad petitionem, & requisitionem prædi-
 ctarum sororum Agnexinæ Trottæ, & Florinæ Leo-
 næ ibidem præsentium, & requirentium, publica-
 tis prius eisdem præfatis litteris Apostolicis, & com-
 missione prædicta, volendo prædicta omnia contenta
 in præfatis litteris executioni mandare; & manda-
 tis præfati Rev. Patris, & D. D. Episcopi Papien-
 sis secundum mandata sanctissimi Patris, & Domini
 nostri D. Bonifacii Papæ noni, ut supra in omni-
 bus obedire, ipsas sorores Agnexinam de Trottis,
 & Florinam Leonam coram eo flexis genibus con-
 stitutas transfert, & pro translatis haberi vult, &
 jubet de monasterio S. Martini de Foro Aquensis
 diœcesis, in quo erant constitutæ moniales, & so-
 rores ad præsens Monasterium nunc constitutum,
 & constructum sub nomine, & vocabulo S. Mariæ
 de Angelis ordinis, & regulæ S. Claræ, & ipsas
 in dicto monasterio recipit, & admittit induendo,
 & investiendo eas, & quamlibet ipsarum de ordi-
 ne, & habitu ordinis S. Claræ, videlicet induendo
 & investiendo eas, & quamlibet earum de habitu
 prædicto, videlicet tunica, & cingulo ordinis ante-
 dicti tradendo, & publicando eis, & cuilibet earum
 regulam ordinis prælibati, & eam eis in scriptis
 dimittendo, & aliam eisdem imponens, & conce-
 dens, ut in præfatis litteris Apostolicis, & commis-
 sione prædicta plenius continetur. Ipsisque Agnexi-
 na, & Florina jurantibus, & votum Deo facienti-
 bus in manibus præfati fratris Stephani commissarii
 prædicti prædictam regulam, videlicet obedientiam,
 paupertatem, castitatem, & perpetuam clausuram
 in dicto monasterio, & alia contenta in dicta regula
 perpetuo observare, & professionem de prædictis
 coram eo, & in manibus ipsius fratris Stephani
 commissarii, ut supra facientibus, & ad observan-
 tiam dictæ regulæ S. Claræ sese perpetuo obligan-
 tibus. Quibus omnibus præfatus D. Conradus de
 Puteo constructor, & ædificator dicti monasterii
 consentiens præsens fuit tradendo dictis sororibus
 Agnexinæ, & Florinæ suorum nomine, & nomine
 aliarum, quarum pro tempore intererit claves mo-
 nasterii ante dicti præcipiendo de prædictis omnibus
 dictus D. F. Stephanus commissarius prædictus, &
 dictæ sorores Agnexina, & Florina, & dictus D.
 Conradus per me Notarium infra scriptum fieri pu-
 blicum instrumentum. Interfuerunt testes ad prædi-
 cta omnia vocati, & rogati, & ad prædicta omnia
 præsentibus Dominicus Bochacius, Franciscus Vin-
 centius Barberius, Luchellus Guzia, & Augustinus
 Moylonius. Ego Stephanus Moscardus publicus Im-
 periali auctoritate Notarius prædictis omnibus præ-
 sens fui, & rogatus hanc cartam mihi jussam exscripti
 signumque meum consuetum apposui in testimonium
 præmissorum.